



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio LXXVIII. Argumentum. Probatur, Cambia maritima Spalatensium cum lucro certo sex pro centenario omni trimestri esse licita, ac legitima, quia verè, & propriè non sunt cambia, fed societates ad ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

diversam à recepta, cum usuf cambiendi hunc in modum invaluerit. Et paulò infra num. 14. subdit: Ita ut pro reddenda æquivalenti specie pecuniæ receptæ nec etiam requiratur, quod illam recipiens habeat æquivalentem summam in nundinis, sed sufficiat, quod habeat amicum mercatorem, qui ejus nomine ibidem solvat, & recambiat, prout facere promiserunt debitores in hoc casu; quasi idem sit habere numismata, vel nomina debitorum, ex quibus vera, vel virtualis solutio sequatur. Et allegat plurimos Doctores, inter quos Diana part. 1. tract. 8. resol. 2. Quæ in Coordinato opere habetur tom. 6. tract. 3. resol. 3. ac Duardus de Cambiis §. 1. quæst. 40. à num. 21. & quæst. 42. sub num. 32. & quæst. 51. sub num. 1. referens ita determinatum fuisse in Congregatione ab Urbano VIII. deputata.

Huic Rotali doctrinæ addenda est illa Eminentiss. Cardin. de Luca in suo tract. de Cambiis disc. 3. num. 6. & 7. & disc. 23. num. 9. ubi rationibus, & juribus confirmat, non esse vocandum usurarium contractum, quando qui petit & recipit pecuniam ad cambiendum, eam insumit in suis necessitatibus, si ille, qui dictam pecuniam exburset, bona fide credit, esse in camba girandam, nec certam notitiam habet de fine, & intentione recipientis, insumendi scilicet illam in suis necessitatibus.

Scrupulum potest facere in hoc casu, quod Paulus pactum fecerit cum Petro de quatuor Scutis pro centenario annuatim solvendis; ita enim probatum est supra in Decis. LXXVI. num.

25. quod ab initio non possit Campfor pacisci de certo lucro, sed expectare debeat id, quod in nundinis fuerit taxatum, ut advertit etiam Eminentiss. Cardin. de Luca dict. tract. de Cambiis

disc. 3. num. 9. disc. 14. num. 4. disc. 24. n. 8. Sed respondetur, vel quod dictum pactum vitietur, & non vitiet contractum, quia non est contra ejus substantiam; vel quod ob ejusdem lucritenitatem sustineatur, quia cambiorum lucrum longè majus esse solet, ideòque illud plus cedit ad favorem Petri Campfarii, ut considerat idem Eminentiss. Cardin. de Luca in eodem tract. disc.

26. num. 9. & 10. vel tandem sustinetur dictum pactum, neque facit contractum injustum, quia evidens est justitia ejusdem pacti, quandoquidem Paulus Campfor convenit, ut pro lucro sibi solveret à Paulo quatuor pro centenario cum his duabus conditionibus, Una, quod si lucrum ex cambiis faciendis excederet dicta quatuor Scuta, excessus cederet ad favorem Petri Campfarii, Altera, quod si lucrum non ascenderet ad dictam summam quatuor Scutorum, damnum, ac defectus spectet ad Paulum creditorem.

igitur, cum tale pactum sit honestum, lucrumque conventum non sit excessivum; quippe in cambiis solet taxari usque ad duodecim pro centenario, ut ait Rota part. 13. recent. decis. 413. num. 9. ac proinde sit lucrum moderatum ad tradita per Baldum, quem citat, & sequitur Rota p. 14. rec. decis. 126. n. 41. utique præ-

dictum Pauli pactum judicandum est justum, & stante ejus justitia, quamvis initum à principio, est tolerandum, ac sustinendum; ut in terminis probant Lessius lib. 2. cap. 23. dub. 11. num. 90. & Reginald. lib. 25. num. 467. quos citat, & sequitur Diana Coordinatus d. tom. 6. tract. 3. resol. 16. desumpta ex veteri p. 1. tract. 8. resol. 15. Qua-

re concludo, casum Romanum, de quo supra, esse licitum, non autem Usurarium.

DECISIO LXXVIII.

A R G U M E N T U M.

Probatur, camba maritima Spalatensis cum lucro certo sex pro centenario omni trimestri esse licita, ac legitima, quia verè, & propriè non sunt camba, sed societates ad negotiandum, cum assecuratione pecuniæ à periculis, quam campfor ipse facit.

S U M M A R I U M.

1. Spalatum Civitas nobilissima.
2. Cambiorum maritimorum Spalatensium formula.
3. Camba maritima an sit licita?
4. Assecurationis contractus est licitus.
5. cap. Naviganti de Usuris explicatio.
6. Nauticum senus de Jure Civili erat permissum.
7. Camba maritima Spalatensis sunt legitima.
8. Quia sunt societates ad negotiandum.
9. Socius in negotio assumens in se periculum majus lucrum percipit.
10. Contractus trium contractuum in societate est licitus.
11. Usus universalis circa lucrum in negotiis facit ipsum licitum.
12. Maris navigatio semper periculosa.

IN antiquissima, ac nobilissima civitate Spalati [quæ est Urbs Archiepiscopalis Dalmatiz, olim Diocletiani Imperatoris palatium; portu satis amplo, ac tuto ornata] habentur in usu Camba maritima, pro quibus singulo trimestri solvuntur Campfori sex pro centenario, attento periculo pecuniæ, quod ipse in se suscipit, prout ex sequenti formula, seu Cambii partita: Laus Deo 1702. Primo Giugno, Spalatro. Per il primo di Serembre prossimo venturo pagara Lucio Stella Ducati cento, e sei à Cajo Mario, sono per Ducati cento avuti hoggi dal medesimo a cambio maritimo, che deve correre sopra la Peora del Paron Zuanne Predolin col rischio di fuoco, mare, e corsari il presente suo viaggio per Venezia nell' andare in là solamente, che Iddio loguardi. Val. Duc. 106. Chiamandosi piezo, e principale pagadore per la soddisfazione del suddetto danaro, spirato l' accennato termine, Marco Claudio.

Dubitare contingit, An prædicta Camba maritima sint licita, vel illicita? Et non absque gravi motivo; siquidem circa ipsa magna est controversia inter Theologos, & Canonistas, quos novissimè refert Fagnanus in cap. Naviganti, n. 4. & seqq. de Usuris & qui à me fuerunt collecti in his meis Decisionibus Miscellaneis de Usurarium materia Decis. XXXVIII. in qua examinaui illud Quæsitum, An liceat recipere lucrum in mutuo ratione periculi? Siquidem pro justitia prædicti contractus, & quod licitum sit antedictum lucrum, præter plures alias rationes, illa fuit considerata potissima, quod contractus Assecurationis absque dubio sit licitus, & ab omnibus DD. permittatur. Molina de Justit. & Jur. disput. 318. num. 3. disput. 507. per totam. Gaspar. Anton. Thesaurus Quæst. forens. lib. 4. quæst. 77. & Leotardus de Usuris quæst. 23. num. 42. At in supradicto Cambio maritimo Campfor suscipiens in se periculum ignis, maris, ac piratarum, quod imminet pecuniæ, dum per mare trajicitur Venetias, facit vicem Assecurationis, liberatque Campfarium ab obligatione restituendi eandem pecuniam sibi mutuam, &

ad negotiandum datam, si ex dictis causis pereat. Igitur, sicut quilibet alius affecutor potest recipere lucrum ob periculum, quod in se suscipit, ita etiam ipse Campfor; ut in puncto docent DD. apud Dianam *part. 1. tract. 8. resol. 37.* Quæ in Coordinato ejus opere legitur *tom. 3. tractat. 2. resol. 41.* quibus adhæret doctiss. Maffius in *sua Theolog. Moral. disput. 5. num. 67.* & ego notavi de periculo extrinsecus imminente eidem pecuniæ in *d. mea Decisione XXXVII. de Usuris num. 11.* & ibi Covaruvias *Var. resolur. lib. 3. cap. 2. num. 5.* & Reginaldus *lib. 25. num. 246.*

At pro injustitia hujuscemodi Cambii maritimi, & quod ipsum sit fœneraticium, ac illicitum, facit textus rotundus, & apertus in *cit. cap. Naviganti, de Usuris, in quo Gregorius Papa Nonus respondit, quod Naviganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo, quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid supra sortem, usurarius sit censendus.* Et quamvis non desint DD. asserentes in hoc textu per errorem typographi omissam esse negativam Non; ita ut Papa responderit, *Usurarius non est censendus, ut opinantur ex Moralistic Layman. lib. 3. tract. 4. cap. 16. num. 13.* Palaus *tract. 32. disput. 4. punct. 18.* & Ciballinus *de Usuris lib. 2. cap. 4. art. 3.* ex Juristis verò Fachineus *Controvers. Jur. lib. 2. cap. 48.* Gudelinus *de Jur. noviss. lib. 3. cap. 3.* & alii congesti per Gonzalez in *Comment. ad dict. cap. Naviganti, num. 7.* Nihilominus communior opinio est, mutuans pecuniæ, & aliquid ultra sortem recipientem ratione periculi ob navigationem esse verè Usurarium, ut docent plurimi Canonistæ, ac Theologi allegati per eundem Fagnanum in *eod. cap. Naviganti, à num. 8. & seqq.* qui omnes notant, per illum textum esse correctum Jus Civile, quod faciebat licitum nauticum fœnus ob periculum à mutuante in se susceptum pecuniæ trajectitiæ, ut in *tit. ff. & Cod. de Nautico fœnore;* & hoc ex pluribus rationibus, quas considerat Fagnanus, & Gonzalez in eodem textu ibi à studiosis videndas, quarum principalis est, quia mutuarius videtur cogi ad hoc lucrum solvendum sub prætextu periculi, & quod non promittat spontè illud lucrum solvere, sed coactè; nam si ita non consentiret, Campfor pecuniam non daret.

Cæterum quicquid sit de prædicta controversia relata ad naturam mutui, cujus naturam & essentiam videtur assumere traditio pecuniæ, etsi trajectitiæ & sub nomine ac titulo cambii maritimi, respondendo ad propositum casum Spalatensem, fretus doctrina Sapientissimi, ac in foro versatissimi D. Cardinalis de Luca in *tract. de Usuris disc. 3. num. 3.* dico, illum esse licitum, justum, & ab omni labe usuraria immunem, ea ratione, quia prædictus contractus verè, & propriè non est Mutuum, neque Cambium, sed est contractus Societatis, quo Cajus Marius assertus Campfor dat pecuniam Lucio Stellæ ad negotiandum; nam ut pro verissimo refertur mihi in facto, statim accepta pecunia, ipse Lucius Stella, alique denominati Campforii emunt Spalati multas merces, tam comestibiles, ut caseum, butyram, carnes, quam alterius generis, quæ ob abundantiam vili pretio ibi reperiuntur, easque navigando trajiciunt Venetias, ubi illicò cariori pretio eas vendunt, iterumque Venetiis coemunt parvo pretio alias

Doct. Clericali Tom. II. Lib. IX.

merces, ac res, quarum Spalatenses indigent, easque remeando portant Spalatum, & cariori pretio statim revendunt, & hoc modo negotiantur eundo, & redeundo, lucranturque, prima ac secunda vice triginta, & quadraginta, ac etiam plus pro centenario; undè fit, ut absque ullo incommodo tribus mensibus transactis solvant sex pro centenario Cajo Mario, qui dederat ad hunc effectum Ducatos centum ad ita negotiandum; idcirco ipsemet Cajus Marius verè, & propriè est Socius negotiationis, & dat suam pecuniam ad Societatem futuri lucri cum periculo sortis, ut benè demonstrat idem Eminentiss. Cardin. de Luca *de Usuris disc. disc. 3. num. 3.* ad similitudinem Societatum officiorum, quæ præstantur Romæ in his propriis terminis, de quibus agit etiam Rota coram Eminent. Cardin. Millino *Decis. 186 & Decis. 201.* nec non coram Coccino *Decis. 70.*

Firmata itaque natura contractus Societatis, facile est ostendere, illum non esse fœneraticium, sed licitum, & legalem, tum quia Cajus Marius, qui in Societate ponit pecuniam, assumit in se periculum ignis, maris, & piratarum, cujus periculi causa aliquod lucrum percipere potest. Scaccia *de Commercio & Camb. §. 1. quest. 1. num. 288.* & ibi DD. loquentes in terminis pecuniæ trajectitiæ datæ naviganti ad negotiandum, cujus periculum in se suscipit ille, qui dat prædictam pecuniam, tum etiam, quia ad tollendas contentiones super redditione rationum, & quantitate lucri, ac expensarum, idem Cajus Marius illud totum, quod ad se spectaret ex illa Societate, & negotiatione, vendit, cedit, ac renunciat ipsi Lucio Stellæ Socio naviganti pro sex ducatis in trimestri pro centenario; & sic facit contractum trium contractuum, Societatis scilicet, Affecutionis capitalis, & Venditionis lucri majoris incerti pro lucro minori certo; qui omnes contractus sunt liciti juxta magistralem doctrinam Navarri, quem omnes Theologi, & Canonistæ sequuntur, in *capit. Si fœneraveris, in 14. notab. ad num. 32. & seqq. 14. quest. 3.* quam doctrinam reperit in *Manuali cap. 17. num. 254.* & eam laudat Lessius *de Justit. & Jur. lib. 2. cap. 25. num. 22. & seqq.* Bonacina *tom. 2. de Contractibus disput. 3. quest. 3. punct. 11. num. 2.* Eminentiss. Cardin. de Lugo *de Justit. & Jur. disput. 30. num. 40.* Idem Scaccia ubi supra *§. 3. gloss. 3. num. 36. & seqq.* Carleval. *de Judiciis tom. 2. disput. 7. num. 17.* latissimè Giballinus *de Usuris lib. 6. cap. 3. & seqq.* Leotardus *eod. tract. quest. 31. num. 13.* Diana *part. 1. tract. 8. resolur. 30.* resident in Coordinato *tom. 6. tract. 3. resolur. 49.* & in terminis Rota in Viterbien. Transactionis 4. Junii 1663. coram Taja, impressa in *part. 14. recent. decis. 74. num. 18. & 19* ubi signanter dicit, quod prædicta procedant, etiam si dicti contractus celebrentur tacitè, & intentione implicita ad *text. in cap. penultim. de Donat. inter Vir. & uxor.* quod etiam scribit Marefcottus *Var. Resolur. lib. 2. resolur. 132. num. 21.*

Neque obstat quod sex pro centenario omni trimestri sit summa excessiva ascendens ad viginti quatuor Ducatos pro centenario in anno. Nam cum tanta quantitas sit in usu apud omnes Spalatenses navigantes cum mercibus ad Civitatem Venetiarum, dicendum est, eam non posse redargui de excessu, sed honestam esse reputandam; tum quia si ipsi navigantes eam da-

R 2

mno-

innocentiam sibi, non autem valde utilem experirentur, abstinere ab huiusmodi pactione; tunc etiam, quia praxis communis eorundem navigantium, & negotiantium habet presumptionem iustitiae ejusdem pacti; & eidem praxi Rota Romana solet absque scrupulo deferre, ut ait coram Ludovico Decis. 126. num. 1. & 2. & coram Merlino Decis. 597. num. 36. & equidem si lucrum eorundem navigantium in prima, & secunda venditione mercium ascendit ad quadraginta, & etiam quinquaginta ducatos, ut suppositum mihi fuit, in uno trimestri; non est onerosum solvere sex socio danti pro capitali ad negotiandum ducatos centum.

Minus officit, quod raro, imò nunquam succedant asserta pericula ignis, naufragii, aut piratarum, quia non attenditur eventus, sed quod potest evenire; certum est autem, quod Qui navigant mare, enarrent pericula ejus, Eccles. 43. 26. & non est sine periculo transitus quadringentorum miliarium, quae decurrunt à Spalato ad Venetias; fallit enim portus & ipse fidem; multaeque naves saepe in portu quiescentes intereunt; unde eo magis per mare decurrentes semper subsunt periculis, ut reflectendo ad instabilitatem maris considerat eadem Rota coram Merlino dict. Decis. 597. num. 25. & 26. & ex auctoritate Senecae, Soti, Baldi, Navarri, ac aliorum DD. demonstrat, Scaccia de Commercio. §. 1. quaest. 6. num. 18.

DECISIO LXXIX.

A R G U M E N T U M.

Quid, & Quotuplex sit Restitutio? Quomodo ea faciendi circa damna data per animalia in campis?

S U M M A R I U M.

1. Restitutio necessaria ad aeternam salutem.
2. Restitutio quid sit?
3. Restitutio differt à satisfactione. Et cur?
4. Restitutionis Praeceptum an sit affirmativum, an negativum?
5. Penitentes restitutionem procrastinantes non absolvendi.
6. Animalium Domini tenentur ad damnum per illa illatum.
7. Damnum dantes cum culpa Theologica tenentur restituere.
8. Damni causam qui dat, damnum dedisse videtur.
9. Nemini licet jus sibi dicere.
10. Statutum Patavinum de animalibus repertis damnisficare campos.

Restitutionis materiam, quae adeo necessaria est ad aeternam salutem consequendam, ut sine ipsa non remittantur peccata, cap. Si res aliena. 14. quaest. 6. cap. Peccatum. de Reg. Jur. in 6. Clerus Patavinus eruditis responsis illustravit: quorum compilatio de more, ad ipsorum studentium laudem, & legentium profectum, exhibetur.

Ad primum Quaesitum, Quid sit Restitutio? Plurimae fuerunt allatae definitiones. Theologi Scotistae dixerunt, quod Restitutio sit reditio aequivalentis pro aequivalente alias indebiti. Ex Scoto in 4. dist. 15. quaest. 1. H. & ex Eminentiss. Cardin. de Lauræa tom. 2. de Virtutib. in gen. disputat. 23. num. 3. ubi num. 6. probat, Restitutionem rerum alienarum praecipere de jure Naturali, Divino,

Gentium, Canonico, & Civili. Thomistae scripserunt, Restitutionem esse actum iustitiae commutativae, quo damnum proximo datum rescitur ad aequalitatem. Ex S. Thom. 2. 2. quaest. 62. art. 1. Et ex Eminentiss. Cardin. de Lugo tom. 1. de Justit. & Jur. disput. 8. num. 17. Theologi Morales asseruerunt, eam esse actum iustitiae, quo cuique reddatur, quod ab eo ablatum, vel acceptum est. Ita ex Eminentiss. Cardin. Tolet. in summ. lib. 5. cap. 17. num. 1. Canonistae responderunt quod Restitutio sit condigna Satisfactio juxta facultates pro damno contra iustitiam irrogato, ex cap. In literis, de Raptorib. & ex Eminentiss. Cardin. Cavaller. decis. 651. num. 4. Alii tandem notarunt, esse actum iustitiae commutativae reddentis unicuique debitum suum. Ex Rebell. de Oblig. Justit. lib. 2. quaest. 1. num. 3. Sive quod sit Redditio rei acceptae, vel damni illati compensatio ex Tamburin. in Decal. lib. 8. tract. 3. de Restit. cap. 1. num. 1. Aut Damni iniuste dati secundum aequalitatem Arithmetice Restitutio. Ex Layman. lib. 3. tract. 2. cap. 1. num. 1. Omnes quidem optime. Illud tamen advertendum, quod strictè loquendo Restitutio differt à Satisfactione: hac enim propriè locum habet in injuria, & contumelia, quam qui intulit proximo non est absolvendus, nisi ei satisfaciatur. Restitutio verò consideratur in rerum externarum ablatione, vel damni illatione, & ubi damnum cum contumelia conjungitur, ut in vulneribus, homicidiis &c. non solum Restitutio damnorum, sed etiam Satisfactio pro injuria est praestanda, ut ex S. Thom. in 4. sent. dist. 15. quaest. 1. art. 5. advertit Paul. Comitol. in Respons. Moral. lib. 4. quaest. 11. num. 1. Quod notent Confessarii, ne contumeliosos, qui calamo, aut lingua injuriam irrogarunt proximo suo, absque satisfactione absolvant; quia est actus iustitiae.

Ad secundum Quaesitum, An Restitutionis Praeceptum sit affirmativum, an negativum? diversae relatae sunt opiniones Doctorum, quorum alii illud affirmativum appellant. Scotus de Justit. quaest. 6. art. 2. in fin. Bonacina de Restit. tom. disput. 1. quaest. 1. punct. 2. num. 4. alii negativum adstruunt. Vasquez 1. 2. quaest. 72. art. 5. Molina de Justit. tom. 3. disput. 716. num. 3. Facilis tamen est concordia, quia Praeceptum restituendi est quidem affirmativum, sed non purè, siquidem continet etiam sub se negativum de non retinendo bona aliena, sicut est Praeceptum de non accipiendo, quia detentio est continuata acceptio. Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. tom. 2. de Virtutib. in genere disput. 23. num. 224. Eminentiss. Cardin. de Lugo de Justit. d. disput. 8. num. 18. ubi ait, quod licet secundum sonum verborum videatur esse affirmativum, secundum rem tamen sit negativum; idem enim est dicere, Restitue, ac si dicas, Ne retineas alienum; sicut idem est dicere Jejuna, ac dicere, Ne comedas bis in die; quod etiam notat Layman. dict. lib. 3. tractat. 2. cap. 2. num. 2. Ex qua doctrina notare debent Confessarii sollicitudinem, qua compellendi sunt penitentes ad restitutiones debitas faciendum; nam qui est obligatus restituere, tenetur statim restituere. S. Thom. 2. 2. quaest. 62. artic. ultim. Scotus in 4. dist. 15. quaest. 2. & Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disput. 23. num. 220. 221. ubi reddit rationem dicens, quia detinens scienter alienum, est in statu peccati mortalis, nam est perseverantia, seu continuatio furti, cum dominus ita sit invictus, ut res sua ab alio